Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów.
Zespół (fond) 141.

ZBIÓR ALEKSANDRA CZOŁOWSKIEGO

Dział (opis) I

1780. Liber erectionis ecclesiae parochialis Turbiensis. 1789.

STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE

BIBLJOTEKA OSSOLIŃSKICH
ZBIÓR Dr. A. CZOŁOWSKIEGO
Nr. rękopisu 1780

Turbia adt. 1119
1.

Copia

Liber Errectionis Ecclesiæ Parochialis Turbiensis por rigitur A.S. Mandato Juditie Cesareo Regni Urbarialis Commissionis de die 12. Septembris Ao 1789. Resoviæ.

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Septimo Die vero Lunæ vigesima Octava Mensis Februarij Kielciis. Judicium Curiæ Illmi et Revdmi Domini Episcopi Cracovien Ducis Severiæ Supramemorati Viso Processu Remissoriali, coram Dominis Commissariis a Judicio presen deputatis, de et super verificatione conditionum a Jure Canonico ad erigendam novam Ecclesiam Parochialem requisitarum, in loco loci constructo et compilato visis dictis et depositionibus Testium, formiter examinatorum, ex quo et quibus sufficienter constat, de Causis ad erigendam Novam Parochiam, et Ecclesiam intra fines antiquæ a Jure Canonico in C. Ad audientiam de Ecll: Edific: et Conc: Trid: Sess: 21. C: 4. de Reform: requisitis videlicet quod Incolæ Villarum Turbia Oboyna et Turebska Wulka ob distantiam ab Ecclesia Parochiali in Oppido Rozwadow cui Jure Parochiæ subjecti sunt, tum asperam cœnosamque viam non possint præsertim Senes, Pueri, ac debiles, absq maxima difficultate et incommodo ad dictam Ecclesiam Parochialem, pro Divinis Officiis audiendis, et percipiendis Sacramentis accedere, quodq sine illis plures ex hac vita decesserint, visis tribus Decretis V. Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Insignis Sandomirien ad cujus proprietatem prædictæ Villæ spectant et pertinent ex parte ejusdem V. Capituli authenticæ et in forma probanti, judicialiter productis præinsertis quibus mediantibus et quidem Imo Capituli Generalis de Anno 1756. Die 5ta Junij pro absolvendis Missis singulis Diebus Festivis in Capella in Villa Turbia decenter extructa, et de licentia Suæ Illustrissimæ Celsitudinis benedicta Presbyteris Regularibus vicinioribus, annualim Centum Quinquaginta florent Polonic assignati fuerunt, et declaratum fuit futuro Vicario seu Rectori Ecclesiæ in Turbia constituendo ex proventibus Bonorum ejusdem Villæ Ducentos florenos Polon et alios Centum

Viginti

1780

Viginti cum Onere absolvendi, totidem Missas lectas Turb. Juanas dictas Solvendos Singulis Annis, tum Fundum pro Horto, dimittendum. 2do Similiter Capituli Generalis de Anno proxime preterito 1757o Die Nona 7bris ad formam et praescriptum c: 1. de Censib: et proventibus Villae Turbia, Ecclesiae ibidem erigendae illiusque Rectori titulo dotis et provisionis constituitur et assignatur jure perpetuo Unus Mansus Agri in dicta Villa Stadiorum Undecim, quorum 1mum in latum complectitur Sulcos Septuaginta 2dum Sulcos Septuaginta Unum 3tium Sulcos Septuaginta Sex 4tum Sulcos Septuaginta Novem 5tum Sulcos Octuaginta Quatuor 6tum Octuaginta Tres 7mum Septuaginta quatuor 8vum Quinquaginta Unum 9num Quadraginta Duo 10mum Triginta Tres 11mum Viginti Quinque in totum Sulcos Sexcentos Octuaginta Octo. Qui Mansus seu Laneus jacet Secus Viam Publicam quae tendit a Turbia Sandomiriam, et limitatur a Meridie dicta Via Publica, ab Occidente Sylva Zbigniewiensi, a Septemtrione Agris Incolarum Villae Turbia, ab Oriente Hortis eorundem Incolarum Praeterea in Campis Zaturbie, vulgo vocitatis Ager in longum Stadiorum Duorum Sulcos Centum Quinquaginta, in latum complectens, cum prato contiguo quorum fines et limites sunt Rivus Paludinosus ab una, Pyrus et Prata Praedij Turebsien partibus ex altera, Pensio Ducentorum floren Polonicale et altera Centum Viginti floren Similium pro absolvendis Centum Viginti Missis ex proventibus Villae Turbia, perpetuo Solvenda et Areae duae una amplior pro futuro Rectore Ecclesiae Parochialis in Villa Turbia erigendae, altera pro Ministro ejusdem Ecclesiae assignantur et applicantur. 3tio Decreto Capitali Partialis De Anno proxime preterito Die 1ma 8bris Jus patronatus et praesentandi Rectorem pro tempore ad Ecclesiam Parochialem, in Villa Turbia erigendam petitur reservari Capitulo etiam Partiali et Advocato dictae Villae Turbia, Supradictam Capellam in eadem Villa, ad laudem et gloriam, Omnipotentis DEI et Ejus Genitricis Virginis Mariae, totiusq Caelestis Hierarchiae et Supernae Hierusalem, et pro commoditate Incolar Supradictorum trium Villarum Sub Titulo et Invocatione S. Leonardi Abbatis in Ecclesiam Parochialem, erexit et constituit super dote et provisione Supraspecificata, quam dictae Ecclesiae in Turbia in perpetuum applicavit, addidit, appropriavit et incorporavit, Sub modo tamen et onere, ut illa Centum adhuc florenis annualim Rectori dictae Ecclesiae Solvendis

augeatur

augeatur. V. Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Sandomirien Sumptus Fabricæ Ecclesiæ in Turbia Supportet, et sustineat. Ad quam quidem Ecclesiam in Turbia Jure Parochiæ Spectabunt Villæ Turbia, Obojna et Turebska Wulka, quæ a Parochiali Ecclesia in Oppido Rozwadow separantur, et dividuntur. Ita ut Incolæ dictarum Villarum in antea, et in futurum, pro Divinis Officiis audiendis et percipiendis Sacramentis non ad Ecclesiam Rozwadovien sed ad illam in Turbia accedant, ibiq Sepulturas, Coementorium, Fontem Baptismalem, Campanile, Campanas et alia Insignia Parochialitatis construant et retineant. Rectorem dictæ Ecclesiæ, pro tempore existentem ad exercendam curam Animarum, Incolarum dictarum trium Villarum, et administran do Sacramenta, tam necessaria, quam voluntaria, tum ad obeun da fideliter et diligenter Munia Parochialia et absolvendas Singulis Diebus Dominicis et Festis ad legem S.^mi Concilij Tridentini Missam Parochialem, pro Parochianis in genere, tum Missas Centum Viginti Turebscianas dictas, Sub onere conscientiæ obstrinxit et obligavit Juspatronatus et præsentandi ad prædictam Ecclesiam noviter in Villa Turbia, erectam, tam et primeva Erectione vacan quam quoties illam vacare contigerit. Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ Sandomirien etiam Partiali et Advocato Sepedictæ Villæ Turbia, reservavit, et Reveren dum Adalbertum Wilkowski Presbyterum Vicarium, dictæ Ecclesiæ Collegiatæ Præsentatum Servatis de jure Servandis instituen ac investien decrevit, præmissis Omnibus et Singulis robur authoritatis Ordinariæ et perpetuæ firmitatis adjecit pariter et Decretum desuper interposuit, Literasq Erectionis et alias de super necessarias in forma Solita extraden decrevit. Decreti per Vigore ad præmissa mediante Præsen Perill. Adm. R.do Josepho Olszewski U.J.D. Archidiacono Zawichosten in Ecclesia Cathedrali Cracovien. Canonico Kielcen. Causarum Curiæ Suæ, Illustrissimæ Celsitudinis Judice Surrogato et me Josepho Żurawski Cancellariæ Curiæ ejusdem Regente.

Ex Protocollo Actorum Curiæ Ill.mi et Rev.mi Domini Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ Suprameorati extractum et Sigillo Suæ Illustrissimæ Celsitudinis communitum L.S.

Petrus Josephus Fahla S.D. Curiæ Suæ Illustrissimæ Celsitudinis Actuarius mpp

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :

DIGITAL - CENTER
ul. Ostatnia 17
60-102 Poznań
www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.
Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.